

1430 duxi, qui lucubrationis hujus supremus esse debuerat, nec tamen ad exitum nostra spectare cœpit historia; quin tot & tanta adhuc dicenda restant, ut tertiam laboris hujus partem scribenti mihi adhuc supereffe intelligam. Verum quantuscunque ille labor fuerit, eo sane jucundior erit, quo cætera quæ deinceps sequuntur, ob rerum amplitudinem plus gratiæ, quam illa, quæ ad hunc locum scripsimus, sunt omnino habitura. Quiescebat igitur non solum Gallia, sed (quod multis ante ætatibus raro contigerat) tota etiam Italia: quum ocium illud Bononienfium a Martino Pontifice turbare cœpit defectio. Nec multo post & bellum inter Venetos & Philippum renatum: cujus causa, ne unde orta sit, minus quandoque intelligatur, aliquanto est altius repetenda. Post pacem Vicecomiti redditam, fines Cremonensis agri, qui Veneto fuerat jam antea adjudicatus, assiduæ dilceptionis causam & quasi futuri belli fomitem præbuere: cujus rei cognoscendæ etsi Æstensis Marchio hinc inde arbiter ab initio erat dictus, renovandi tamen belli causa quædam & occasio videri potuit. Cæterum æstate illa, quæ proxime pacem secuta est, cœpit Philippus Fliscos & Fregosios, Genuenses extorres, acriter bello vexare, quos in Florentinorum partibus censeret, dum de pace ageretur, non fuerat passus, sed pollicitus erat, eos se in amicorum numero habiturum. Multas illis arces & oppida ademit, Genuensibus primo, inde Picinino cum valido exercitu in eos movere jussis. Sed hæc quanquam non exiguæ, omnino tamen leves causæ visæ, quibus ad arma tam temere recurri oporteret: alia quidem major, & unde vix aliquis expectasset, futuro bello orta est materia. Paulus ex Guinisia gente, Lucensis, jam tricesimo ante anno injecto suis civibus freno, tyrannum se Lucensium constituerat: atque ita interim rei summam suo nomine administrarat, quod in multis magnisque bellorum procellis, quibus tota Italia per id tempus agitata est, nunquam adduci potuit, ut cujusquam arma aut fœdera sequeretur. Offenderat id non mediocriter Florentinorum animos, qui suorum temporum novitate nihil ab eo, ut vici-

*Causa belli
Gallicæ.*